



Einige alte Briefe

ist Eigentum

der Frau Margarethe Lent
geb. Höfer

Leipzig - Q. 28

Höfermanns Haus 28. T. 4.

LEVAMEN DOLORIS;

QVOD

TEMPORE GENIALI,

VIRI

SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,

D O M I N I

CHRISTIANI FRIDERICI
WILISCHII,

DOCTORIS THEOLOGI MAXIME VENERABILIS, EC-
CLESJARUM FREIBERGENSIVM PASTORIS PRIMARI, IN VI-
CINIA VERO SACRARVM SUPERATTENDENTIS GRA-
VISSIMI; SCHOLARVM ITIDEM INSPECTORIS
SPECTATISSIMI,

A. X. CAL. OCTOBR. A. O. R. M D CC XXVII

VICE QVADRAGESIMA QVARTA REDEUNTE,
GRATVLABUNDO ANIMO EXPRIMUNT,

SACRO APVD FREIBERGENSES ORDINI

QVOT SUNT ADSRIPTI COLLEGAE.

M. George Friedrich Janicke, Archi-Diac.

M. Hieron. Joachim Wäger, Protom. ad Aedem D. Petri.

Johann Wolfgang Willius, Protom. ad D. Nicolai.

M. Gotthold Thürmann, Pastor ad D. Jacobi,

M. Christian Gotthold Wilisch, Symmyska Cathedralis.

M. Gottlob Leschke, Conc. matut. ad Aedem D. Petri.

M. Johann Gabriel Richter, Conc. matut. ad D. Nicol.

M. Martin Hübler, Diac. ad D. Jacobi.

M. Johann Paul Ram, Conc. Vespert. ad Aedem D. Petri.

Christian Freische, Pastor Senior.

Samuel Gottfried Reinhold, Past. Substit. ad Aedem D.

Johann S. Barthol.

FREIBERGAE

Litteris CHRISTOPHORI MATTHAEI

2009

4

002242

angeb. 190



CHRISTIANI FRIDERICI

Lugemus *Matris Patriæ*, eheu! funera nostræ
Ereptæ & lacrymis condecoramus ea:
At, qui nam gemitus, vel quæ lamenta dolori
Sufficient nostro? *Sol Regionis abit.*

Jam totos lugere dies, lugereque noctes,
Tantaque sincere funera flere decet.

Inprimis lacrymet, cui publica commoda curæ,
Et capiat partem quilibet inde bonus.

Non sine singultu lacrymarum flumina miscet,
Mater dum moritur, nunc viduata cohors.

Nescit præ lacrymis mea mens monstrare dolorem,
Hoc tantum superest: *Spes mea tota cadit.*

Eheu quam tristis transfixit pectora moeror!

Reginam subito mors truculenta rapit.

Si pietas, virtus, si cætera munera mentis

Lenirent rabidæ fata tremenda necis,

Jam non, *Diva Parens*, sub regno mortis haberes

Vincula, quæ vitam diripuisse solent.

Hæc Regina fuit virtutibus inclyta summis!

Maxima dona animi quis retulisse potest?

Quam Pia, quam Facilis, quam Indulgentissima Princeps,
Quam sanctæ Cultrix Religionis erat!
Quotidie ardentem effudit ad æthera voces,
Et quis plure DEUM thure vocavit Ea?
Nec meritis hominum, sed CHRISTI morte redemptam,
Seqve pia justam credidit esse fide.
Non igitur mirum si TE, tot dotibus aucta,
Orbati gemimus: causa doloris adest.
Cernimus atratos in vestibus ire Ministros,
Crebraque planxerunt turribus æra cavis,
Et Proceres fletu, populusque absumitur omnis,
Quem Patriæ & Fidei sanctior urit amor.
Nec querimur noti tantum: dolor attigit illos,
Quos procul ignotos extera nutrit humus.
Omnes in luctum unanimes lacrymasque feruntur,
Ferreaque incusant fata, necisque manum.
Ergo erit ista dies nobis, dum vita manebit,
Semper acerba licet, rite colenda tamen.
Nam quoties agilis sese converterit annus,
Nostra recrudescet tempore plaga suo.
Atra dies, mensis septembris quinta vocata,
Accipe non albæ tristia signa notæ.
Accipe, *Sancta Parens*, nostri monumenta doloris,
Non ampla artificis structa sepulchra manu;
Nec Mausolei pendentis in aëre molem,
Nec ruiturarum culmina Pyramidum;
Pfallentum sed rite choros, sed thuris odores,
Sed cum flebilibus verba tremenda modis.
Sed tamen est, quo nos casu solemur in isto,
Læto natali, Præsul amande, Tuo;
Annua lux iterum feliciter orta Patrono,
Candida purpureis festa reducit equis.

Exoptata dies, qua non illustrior ulla,
Pulchra o! purpureis conspicienda genis.
O fortunatum coetum nimiumque beatum,
Antistes quem adeo curat, honorat, amat.
Nemo Tuas digne poterit componere laudes,
Splendida lux nostri Præsidiumque chori.
Virtutum eximius cultor memoraris ubique,
Inque Deum mira religione pius.
Candidus, humanus, simplex, sine fraude doloque,
Sinceris animis, Herculeaque fide;
Largus opum: nemo supplex Tua tecta subivit,
Et subito latam non sibi vidit opem;
Hospitio facilis blandoque affabilis ore
Omnibus, alloquium qui petiere Tuum;
Ingenio excultus vario, rerumque peritus,
Acri iudicio consilioque bono.
Suscipe quæ fundunt omnes, Charissime, verba,
Proque Tua vita sospite, proque domo.
Vota sed in rebus præsentibus atque futuris
Fundimus, ut bona sint firma proculque mala.
Quo fers ergo gradum, superi custodia Cæli,
Demto fine, Tibi cingat utrumque latus.
Vive Tuis, nobis, Exoptatissime Præsul,
Cresce, viresce, nite, corpore, mente, fide.
Candida lux redeat, studiis ardentibus optant,
O Reverende Pater, singula membra Tua.
Hoc Pater, hoc Natus, nec non spirabile Numen
Stellifera nitidi firmet ab axe poli.

sed tamen est, quo nos esse solent in isto,
Læto natali, Præsul amandæ, Tuo;
Annua lux incipit feliciter oritur Patro,
Candida purpureis festa reducit equis.

* * *

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

digitalisiert:

angeb. 212	PPN:	320466663
" 213	"	32046735X
" 214	"	320468650
" 215	"	320469107
" 216	PPN:	320470059

SLUB DRESDEN



3 2349243

2009 4 002242

